

conferrent, postquam aures suas animosque ab illis, quorum se disciplinae dederant, perstrepere videbant per doctrinas vel crassius vel subtilius *Chilias*, quae eo tenderent, ut tandem ad *novam Oeconomiam Dei cum hominibus*, remota praesenti, quae illis *umbratilis, literalis, coeca*, multisque satis defectibus ex *BABYLONE* petitis, laborans dicebatur, omne istud terminaretur, quicquid per tot ambages verborum, & intricatas loquendi formulas, nunc ex ipsa Scriptura Sacra emendicatas, nunc ex ingenio fictas, nunc ex mysticorum lacunis petitas, insinuatum est ab ingeniis novaturientibus, & viperarum instar matrem suam arrodentibus. Accedebant magistri, qui in itineribus, plus interdum conscientiam vulnerantibus, quam scientiam augmentibus, praeter alia Ecclesiae suae inimica, in Britannia, Belgio, Helvetia, aliisque oris volutabra Fanaticorum ingressi, domum redeunt, opum loco fermentum tale secum reportabant, & plaudentes sibi, quod transmarinam sapientiam conciliaissent, & tot Viris doctis (utinam quoque orthodoxis!) innotuissent, qui mos est multis aliis peregrinatoribus, omnia domestica contemnebant, & ad exoticum gustum reformanda existimabant. Unde inscientiae fidei purioris cum impudentia conjunctio quantos & quam miserandos effectus parere potuerit, nullo negotio cognoscitur & documentis comprobatur. Edita enim eum in finem varia illorum scripta, in quorum postremo & pernicioso satis: *Summarischer gründlicher Erweiß* nuperrime edito, *sexdecim quaestiones* satis portentosas proposuerunt, quarum prima clavis est omnium reliquarum, imo totius negotii: *Ob Gott bey ausserordentlichen vorhabenden / ja zum gänzlichen Untergang der so genannten Christenheit zielenden Gerichten und Straffen / nicht auch ausserordentliche Warnungen durch ausserordentliche Wege schicken / umb die Menschen*

Menschen